

Ultra præjuditium, quod Utentibus infertur ex concessione licentiarum, præcipue pro usu aquarum in parte superiori Fluminis, respectu irrigationis Pratorum, quæ æstivo tempore deperit Inferioribus Utentibus, aliud, & quidem gravissimum infertur damnum habitantibus in parte inferiori ejusdem Flaminis, qui tempore predicto ex defectu aquæ, in parte superiori etiam cum beneficio dictarum licentiarum, vel retentæ, vel ex diversione in alios usus perductæ, coguntur accedere cum granis suis ad Molendina distantia etiam per millaria octo, vel decem, & existentia vel in parte superiore Fluminis, vel secus decursum Navigii pro habenda molitura, quam duplicatam solvunt, dum una præstatur Molendinario, altera vero Vectoribus, qui grana ducunt ad Molendum, mox farinam reducunt ad domum illius, cujus sunt dicta grana, unde pro dictis licentiis major semper urget necessitas illas in universum prohibendi.

Rursus plurimi ex Utentibus habent privilegium aquis utendi ultra dies à Novis Constitutionibus concessos ad effectum irrigandi. Quomodo consultum erit omnibus Utentibus, præsertim vero habentibus privilegium prædictum, si modus irrigandi retinendus erit, qualis præscribitur à Nov. Constit., si ab hac lege non est recedendum?

Evidentia facti docuit impossibilitatem consulendi indigentiis Utentium, quoties tempus utendi esset restringendum ad dies indictos, qui si sufficientes crediti sunt pro irrigatione Pratorum ascendentium ad Perticas decem mille circa, certè dicendum est, quod tales esse non possint pro irrigatione Pratorum, quæ nunc pervenerunt usque ad perticas quadraginta mille, & ultra; In hac mutatione rerum introductum est, ut quod partitum à principio fuerat in tres Clases, & in tribus diebus pro singula hebdomada dividetur in duas tantum Clases, & unicuique ex eis una assignaretur hebdomada, in cuius decursu liceret uti aquis pro irrigatione, salvo semper usu Molendinorum, quorum causa potior esse deber.

De hac praxi antiqua dari possent facilimè probationes, cum vix inventiatur aliquis ex habitatoribus circa dictum Flumen, & Utentibus earundem aquarum, qui in ætate sua etiam decrepita memoria habeat aliter fuisse servatum in distributione usus aquarum, quam per alterius hebdomadas inter superiores, & inferiores Utentes, de qua praxi poterit pro nunc ex documentis, quæ exhibentur, haberri opportuna probatio, etiam ad effectum eximendi Utentes ab expensis Processus Testium, ad quem parati sese offerunt, quatenus adhuc dubitari contingat de hoc notorio facto.

Id unum, quod fortasse incertum extitit, reducitur ad determinacionem loci, à quo dividatur Clasis Superiorum ab Inferioribus, cum ali-

aliquando inservierit prò divisione Superiorum ab Inferioribus locuſ Parabiaghi, aliquando vero locus Nerviani, firma ſemper tamen manente temporis affignatione respectu hebdomadæ favore Superiorum, & alterius favore Inferiorum Utentium.

Licet autem hæc diviſio temporis nota sit Officio, tamen ad effe-ctum procedendi titulo contraventionis, res ita confusa reman-ſit, ut pro eadem die processum fit contra Utentes inferiores, & superiores, quaſi illa dies nulli eſſet affignata, licet caderet in hebdomada uni, vel alteri clafſi Utentium debita, hocque fuit in cauſa, ut Utentes ipſi in eorum primis precibus imploraverint à M. V. opportunam providentiam ad continendas vexationes, quibus moleſtabant Utentium Fictabiles, pro qua providentia iterum Utentes ipſi enixè exorant eandem M. V.

Quia tamen in hebdomada, qua inferiores uti debent aquis præfer-tim æſtivo tempore, talis habetur aquarum deſſectus, ut Molendinarii ſingulis annis cogantur reportare edicta non ſine aliquali eorum impensa, neceſſarium agnoscunt Utentes edictum ex ordine M. V. publicandum, quo ne dum determinetur locus di-videns superiores ab inferioribus Utentibus, ſed certa hebdomada poſt diem festum SS. Annunciationis, quæ inservire debeat pro uſu superiorum, & inferiorum Utentium, cum lege ut du-rante hebdomada inserviente inferioribus, teneantur Utentes ſu-periores obturare, & interrare, & inferratas, & obturatas tene-re eorum buccas ſub pæna M. V. benevifa, ita ſiquidem conſul-tum erit indemnitiati inferiorum, ubi Officium invigilet, & cu-ret executionem dicti edicti, & quod magis eſt ſublata erit ne-ceſſitas Molendinariis ſingulis annis reportandi æſtivo tempore, edicta, quæ neceſſaria fiunt pro cauſa publica, ex ſola ſuperiorum Utentium uſurpatione, quia ſi ſuperiores contenti erunt ſua hebdomada, ita proviſum erit inferioribus, ut nūquam ſint in neceſſitate reclamandi ex cauſa deſſectus aquarum, prout nū-quam reclamant ſuperiores.

Inter gravamina per Utentes proposita aduersus Officium recenſe-tur, & illud procedens à Judicialibus moleſtiis, quæ inferuntur pro facto conſiſtentे in omittendo, prout eſt, quando aliiquid circa Buccas adefit, quod restauratione, ſeu refectione indigeat.

Deduxerunt Utentes, quod ubi agitur de contraventione conſiſtentē in omittendo requiratur præmonitio judicialis ad conſti-tuendum omittentem in mala fide, & quod tam in edictis Ampliſ. Conservatorum, quam ex praxi Judicuſ, & Commissario-rum, qui antiquo tempore in hoc Officio præfuerunt ita ſemper obſervatum fuit, mandando, vel præcipiendo ut intra terminum reficerent, ſeu restaurent quidquid declinabat à norma ordinum

sub combinatione, quod aliter Officium processisset ad opportunam refectionem expensis contravenientis, & ulterius exactare remansisset pæna inficta per leges, vel edicta: Ab hac praxi recessisse Officium ab aliquo tempore citra, dum indilatè procedit, & sine aliqua præmonitione plectere tentat omittentem.

Ut Officium se purget ab hoc gravamine insinuat Utentium postulationem jure subsistere, si ageretur de præcepto hominis, secus vero ubi agitur de præcepto legis, quæ jubet quemlibet Utentem conservare debere Buccas aptatas ad formam Ordinum.

Hæc tamen distinctio, quæ in suo casu verissima est applicari non potest circumstantiis hujus hypothesis, quæ convincunt retentum semper fuisse hoc præceptum uti factum ab homine pro executione legis.

Animadvertebant siquidem Utentes, quod lex ipsa in materia conservationis Buccarum præviderat agi de materia, quæ tractum temporis præferebat, & per consequens non poterat semper conservari in eo perfectionis statu, in quo à principio fuerat constituta, mandavit propterea, ut Commissarius Fluminis in exordio sui Officii Flumen visitaret, & Buccas reduci curaret ad formam Ordinum. Hæc commissio per legem data Judici, satis præbet intentionem legis non fuisse, ut existente aliqua Bucca in necessitate reparationis, seu restorationis Judex statim procedere deberet per præcepta adversus Utentem, cuius est Bucca, sed quidein mentem legis eam fuisse, ut Judex curaret reductionem buccæ ad formam Ordinum, & sic Utentem præmoneret de necessitate restorationis, eique terminum statueret ad reducendam Buccam ad formam Ordinum, ita enim intelligendum illud verbum *curare*, quod diversificat à verbo procedere; Si enim mens legis fuisse, ut non conservans Buccam ad formam Ordinum plectendus esset tanquam reus contraventionis pæna per legem inficta, scivisset lex ipsa se explicare, & injungere Commissario, ut procederet ad pænam, & ad refectionem ipsius buccæ; Postquam verò lex hoc non disposuit, dicendum venit aliter sensisse, & sic ejus mentem fuisse, & esse, ut Judex aliter, quam per processum ad pænam curaret reductionem Buccarum ad formam Ordinum, differendo scilicet processum ad pænam, donec Proprietarius buccæ contumax esset in restoratione, & eo magis capiendus venit hic sensus legis, quia dari poterat casus, quod ex aquarum intumescientia aliquod repentinum damnum emiserit buccæ, quod non potuerit tam citò pervenire ad notitiam Domini, vel tam citò restaurari pro legis adimplemento, ut aliquod temporis intervallum non intercedat, quo casu quis posset sine culpa molestari.

Quod

Quod autem lex ipsa fuerit semper ita intellecta, & in hunc sensum retenta, tam ab Amplissimis Conservatoribus, quam ab ipsis Commissariis, qui de tempore in tempus dictum exercitium functi sunt, probant edicta præfatorum Amplissimorum Conservatorum, & probat praxis, quæ observata fuit ab ipsis Commissariis.

Edicta siquidem Amplissimorum Conservatorum semper præscripserunt, ut habentes Buccas indigentes aliqua reparatione, aut restauratione, præmonendi essent, ut præmonebantur in ipso edicto ad reducendam Buccam ad formam Ordinum intra certum terminum, quo elapso, & non reducta Bucca, Officium Fluminis processisset expensis ipsius Utentis ad restaurationem buccæ, & ulterius ad exactionem pœnæ in simili casu inflictæ, ut probant edicta, quorum aliquod inveniet M V. inter illa, quæ produxisse dicitur Notarius Officii in volumine documentorum exhibitorum.

Praxis autem Commissarii de facili probaretur, si Notarius Officii ederet terminos typis impressos, quibus Officium de forma utebatur ad præmonendos Utentes circa restaurationem Buccarum; Viderunt siquidem Utentes aliquem ex dictis terminis transmissum ex ordine Commissarii Petraræ, quo injungebatur restauratio buccæ sub eadem combinacione, de qua in edictis Amplissimorum Conservatorum.

Postquam vero antiquo tempore invaluit hæc observantia, quæ interpretativa esset, quatenus legis dispositio esset dubia, prout non est, alienum à jure, & æquitate crediderunt Utentes, ut modernis temporibus diversa introducatur legis interpretatio, sub prætextu, quod contraventio consistens in omissione adversus præceptum legis, nulla indigeat præmonitione ad constituendum in mora, & culpa retinenter Buccam indigentem aliqua reparatione.

Potissimum cum ex documentis productis docuerint Supplicantes Officium Fluminis parum sibi constans fuisse in methodo procedendi in eodem met casu alicujus reparationis, qua buccæ indigent. Producerunt siquidem duo Præcepta per Commissarium transmissa duobus Utentibus, quorum uterque buccam habebat indigentem Solea, quia reperiebatur cum aliqua fractura; Unisci licet transmissum fuit Præceptum ad allegandum quare condemnari non deberet in pœnam inflictam à Lege, & Ordinibus, ex quo Soleam Buccæ fracturam habentem non restauraverit; Alteri vero transmissa quidem fuit eadem formula Præcepti, sed statuens terminum ad reportandam licentiam ab Officio pro aptatione Soleæ propriæ buccæ.

Certum est, quod Officium vel unī, vel alterī ex dictis Utentibus injūriam fecit, cum ambo essent in eadem categoriā contraventionis, & tamen fuerint diversimodè judicati; prout pariter certum esse videtur, quod Officium ipsum agnoverit æquum, & justum esse, ut præmoneretur Utens de necessitate restorationis, antequam locus fieret Processui pro pœnæ exactione, si in uno casu id servavit, licet in alio diversimodè factum sit.

Res plana videtur circa hoc caput, & per consequens sperant Utentes M. V. ita provisuram, ut coerceatur Offitii libertas procedendi ad arbitrium in iis, quæ consistunt in omittendo.

Prætermittere nequeunt Utentes sine aliqua responsione instantiam Offitii circa Visitationem generalem ab Amplissimo Patre Conservatore faciendam de toto Flumine, & præcipuè de Fontibus, à quibus dictum Flumen eformatur sub præsupposito, quod non aliter consuli valeat indemnitati Utentium Inferiorum, nisi curato augmento aquarum per expurgationem dictorum Fontium.

Rem magni momenti, & egregii sumptus proponit Officium. Fortasse siquidem plus esse posset incommodum expensarum, quam commodum possibile producendum ex proposita generali Visitatione. Aquarum deffectus, quem patiuntur Utentes Inferiores non ab una tantum causa procedere potest, sed quidem à duabus, vel scilicet ex quo Fontes constituent Flumen Olonæ ob omisas expurgationes, non emittant solitas aquas, vel ex quo, licet Fontes prædicti nulla indigeant expurgatione, & solitam aquam emittant, illa tamen à Superioribus Utentibus usurpetur, & aliundè divertatur non curata ejus reversione ad Flumen.

Si esset ferendum Judicium in statu præsentí rerum circà veram causam hujus deffectus aquarum in præjudicium Utentium Inferiorum, certè dicendum potius esset, quod deffectus procedat ab usurpatione, & dispersione aquarum ex facto Utentium Superiorum, qui & ipsi conquererentur si aqua defficeret ex virtute Fontium Flumen producentium, postquam vero Superiores Utentes silent, nec querimoniam proponunt de aquarum deffectu, præsumendum videtur, quod eis aqua non defficiat, sed ipsi sint in causa, ut Inferioribus defficiat.

Antequam itaque cum tanto Utentium impendio manus apponatur propositæ Visitationi generali per Ampl. P. Conservatorem faciendæ proficuum videretur, ut præmittenda esset visitatio quidem generalis, sed Ingenierii ejusdem Fluminis, qui cum assistentia unius ex Syndicis Generalibus Fluminis, atque alterius ex Utentibus Inferioribus recognosceret causam, à qua procedit deffectus aquarum, quam patiuntur Inferiores Utentes, mox relationem exararet Amplissimo Patri Conservatori, qui juxta resultantias relatio-

nis, & facto verbo in Excelso Ordine decernere valeat super necessitate visitationis per eum faciendæ; Si enim ex visitatione Ingenierii, quæ minorem exigit expensam posset certitudinaliter haberi vera ratio, & causa, à qua procedit deffectus aquarum, oneranda non esset Utentibus major expensarum quantitas, quam exigit visitatio generalis Amplissimi Patris Conservatoris, quæ fortasse evitari posset ex iis, quæ Ingenierius post visitationem modo quo supra factam refferre, & insinuare posset.

Hinc Utentes nequeunt pro nunc assentiri dictæ visitationi generali faciendæ per Amplissimum Patrem Conservatorem, nisi postquam necessaria cognoscatur ex relatione facienda ut supra per Ingéhierium Offiti.

Haec tenus Utentes deduxerunt occurrentias suas relativè ad illas providentias, prò quibus insteterunt penes Excelsum Ordinem, ut tollerentur abusus per Officium introducti in materia Dietarum, Mercedis, & aliorum tendentium ad impinguandam Crumenam Officialium. Subaudiverunt Utentes ipsi, quod Regius Fiscus in ejus Voto alia cumulaverit, quæ fortasse respiciunt ejus Interesse, vel circa mulctarum exactiōem, vel circa ordinem procedendi adversus Contraventores, vel demum circa acta Judicialia per Officialies expedienda, & circa Mercedem eorumdem actorum.

Nequeunt Utentes incumbentias suas præstare circa ea omnia, quæ eis ignota sunt. Si in facto verificaretur, quod Regius Fiscus in ejus Voto sollicitus fuerit de aliis providentiis ultra illas, prò quibus Utentes præces porrexerunt Excelso Ordini, nil aliud nunc possent superaddere, nisi, quod in auditis saltem Egr. Syndicis Generalibus hujus Fluminis nihil decernatur, potissimum si ageretur de providentiis, quæ aliquo modo respicere possent Interesse Utentium, tam relativè ad modum procedendi adversus Contraventores, quam respectu ad quocunque aliud, quod importare posset Utentibus aliquam necessitatē de novo præstanti vel Officio, vel Officialibus, quod nunquam fuit præstitum, vel de Jure dubium esse potest, an sit præstandum.

Sperant Utentes, quod Suprema M. V. Justitia, & Clementia circa præmissa dignabitur Utentium præjuditiis occurrere, saltem donec non sint audit, respectu eorum, super quibus incumbentias suas præstare non potuerunt, non retardatis providentiis super hinc inde deduc̄tis, tam scilicet per Utentes contra Officium, quam per Officium ipsum prætensis contra Utentes, quibus alioquin congruum datum fuit ex præmissis responsum, ideo Marchio Don Julius Antonius Lucinus, & Comes Don Annibal Vicecomes uti Delegati ab illis Utentibus, qui nomen, & assensum dederunt in primis Precibus ad M. V. configere duxerunt.

Hu-

Bkfst Gradi Paul
LVCIVI
Comte Montbelle
Visconti

Humilimè exorando dignetur decernere juxta per eos petita in antecedentibus eorum precibus, videlicet nullam deberi mercedem pro prætensis licentiis, quæ necessariæ prætenduntur ad effectum restaurandi vel buccas, vel alia opera ad usum Molendinorum, quinimum dictas licentias tanquam inutiles non esse reportandas.

Pro fidejussionibus annuis ab Utentibus præstandis, quatenus M. V. viderentur necessariæ, & justæ, retentis iis, quæ emergunt ex Instrumento Transactionis Anni 1610., quod tamen non credant Supplicantes ex juribus superius deductis, nil ultra licere Not. exigere, quam mercedem taxatam à N.C.

Servandam itidem esse taxam dictæ legis Provincialis respectu Dietarum juxta petita per Supplicantes in Cap. 4. Precum Supplicantium.

Licentiarum abusum esse tollendum juxta petita per Supplicantes in Cap. 5. suarum primarum Precum.

Determinandas hebdomadas pro usu aquarum Utentium Superiorum, & inferiorum, prout pariter præscribendum certum locum dividentem Utentes Superiores ab Inferioribus, ut quilibet certus esse possit de tempore sui usus, & ulterius publicandum auctoritate M. V. Edictum juxta superius per Utentes petita.

Non subsistere prohibitionem pescationis, sed eam licitam esse cuilibet ex Utentibus, dum modo non impediatur solitus decursus aquarum juxta petita in octavo Cap. dictarum Precum.

In casu alicujus omissionis non posse per Officium procedi, nisi prævia monitione, qua omittens constituatur in mora, & culpa juxta per Supplicantes petita in nono Cap. dictarum Precum.

Quo vero ad prætensem generalem visitationem Amplissimi Patris Conservatoris illam differendam esse donec Ingenierius Offitii post visitatum Flumen suam exaraverit relationem circa causas, à quibus procedit aquarum defectus in præjuditium Utentium Inferiorum, & quatenus dictæ Causæ removeri non possint sine Visitatione Generali Ampliss. Patris Conservatoris, quod sperant &c.